

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

DISSERTATIO
EXEGETICO-POLEMICA
DE

LXX. HEBDOMADIBUS
DANJELIS

ADVERSUS
ANT. COLLINUM,
Oraculum hoc Danjeliticum de Messia
haud agere caussantem,
quam,

divinâ favente gratiâ

SUB PRÆSIDIO

CHRISTOPH. MATTHÆI
PFAFFII,

S. Theol. Doct. & Prof. Primarii,
Cancellarii Tubingensis

ad dies

Aug. MDCCXXXIV.

bc.

in aula nova
defendent

M. JOH. SEBASTIANUS SCHMID, Sulzensis,
M. JACOBUS GODOFR. GEISHEIMER, Stuttgard.
M. EBERH. PHIL. JAC. PFÆHLER, Zavelsteinensis,
Philosophiæ Magistri & Sacrarum Literarum Cultores.

TUBINGÆ

excudebat GEORGIUS FRIDERICUS PFlicke.





PRÆFATIO.

Fervente inde ab aliquot annis in Anglia inter Deistas sive incredulos & Theologos Anglos de veritate religionis Christianæ, quam his defendentibus, impugnant illi, certamine, de Oraculo quoque Danjelis Prophetæ, quod mortis Messæ & vastationis Hierosolymitanæ per Romanos post 70. septimanas faciendæ tempus determinat, mota disputatio est, calamum strigentibus ex illis quidem ANT. COLLINO (a) & TH. WOOLSTONO (b), ex his verò EDUARDO CHANDLERO, Episcopo tum Coventriensi & Lichfeldensi, nunc Dunelmensi (c), SAM. CLARKIO (d), GUIL. WHISTONO (e), ARTHURO ASLEY SYKES (f) & BENJ. MARSHALLO (g), aliis, illis quidem oraculum hoc ad Jesum Nazarenum & vastationem templi à Romanis factam applicari non posse caussantibus, his contrarium ex rei veritate asserentibus. Placet, post doctos hosce Viros controversiam hanc ita ventilare, ut I. novam COLLINI explicationem, ex MARSHAMI (h) & HARDUINI (i) traditis constatam exhibeamus, II. eandem

A dem

dem sub incudem orthodoxiæ revocemus, appendicis loco ISAACI NEWTONI (k), celeberrimi illius in Anglis Mathematici sententiam de eodem argumento, eandem & novam sed prorsus παραδόξον relaturi refutaturique.

- (a) Vide the scheme of literal prophecy considered p. 173. sqq.
- (b) Vide ipsius supplement to the Moderator between an Infidel and an Apostate being a dissertation on Danjel's weeks from the authority of the Fathers 1725. 8.
- (c) Vide illius defence of Christianity from the prophecies of the Old Testament sect. 1. p. 109. sqq. & vindication of the defence Vol. 1. Ch. 3. sect. 1. p. 266. sqq.
- (d) Vide ipsius Discourse concerning the connexion of the prophecies of the Old Testament and the application of them to Christ. London 1725. 8.
- (e) Vide ipsius literal accomplishment of Scripture-prophecies, & hujus supplement, diss. 2. ubi cum If. Vossio contendit, textum Hebræum hic à Judæis corruptum esse.
- (f) Vide ej. essay upon the truth of the Christian religion, wherein its real fondation upon the Old Testament is shewn Lond. 1725. 8.
- (g) Vide illius Chronological treatise upon the seventy weeks of Danjel, ubi, relictis sententiis Prideauxii & Lancastrii contra Collinum sententia Lloydii, Episcopi Vigornienfis defenditur. Lond. 1725. 8. quam in tabulis Chronologicis Oxonii A. 1713. jam defenderat idem Marshallus. Chaldæis annis utitur LLOYD, & MARSHALL, uti Judæis & solaribus PRIDEAUX & LANCASTER.
- (h) in Canone Chronico sect. 18. p. 610. sqq.
- (i) in Chronologia V. T. p. 186. sqq. Operum selectorum f. 592. sqq.
- (k) Vide ipsius observations upon the prophecies of Danjel and the Apocalypse of St. John. in two parts. Lond. 1733. 4. Confer Bibliotheqe Britannique T. 1. P. 2. art. 11. p. 229. sqq.

I.

STatuit autem COLLINUS, I. septuaginta septimanas annorum 490. à quarto anno Jojakimi Regis, quo Jeremias prædixerit, captivitatem Babylonicam post 70. annos finiendam Judæosque in terras suas redituros esse, incipiendas esse, ita ut מוצא דבר Danj. IX. 25. non sit edictum regium sed *verbum Domini* per Prophetam Jeremiam Jer. XXV. 1. 11. XXIX. 10. 19. 2. Chr. XXXVI. 22. Jam enim *verbum* hoc Danjel nosse debuit, qui calculum 70. hebdomadum inire aliàs non potuisset, si edictum hîc intelligeretur regium tum nondum editum. II. Cùm comm. 25. vocem שבועתא à sequente hemistichio separet accentus distinctivus Atnach, dicaturque, à prolatione verbi usque ad Messiam Ducem elapsuras septem septimanas, per Messiam hunc non posse intelligi Jesum Nazarenum, sed Cyrum, qui משיח unctus dicatur factururusque, ut Hierosolymæ & templum restituantur Jes. XLIV. 28. XLV. 1. Etenim à quarto anno Jojakimi usque ad tempus, quo Cyrus in Mediâ imperare cœperit, præcisè elapsas esse 7. septimanas sive 49. annos, uti ex chronologiâ constat. Sententiam hanc ex Christianis dudum defendisse Petros Alphonsum & Blefensem. III. post verba ⲉⲛⲓ 62. septimana comm. 25. repetenda esse antecedentia usque ad Messiam Ducem, significari enim heic, quòd inde ab A. 4. Jojakimi & Oraculo Jeremix laudato, unam enim eandemque epocham, unum idemque septem & sexaginta duarum septimanarum initium esse patere ex voce נחתך abbreviata sunt comm. 24. elapsuræ sint 62. septimanæ sive 434. anni usque ad Judam Maccabæum, Ducem & liberatorem populi eundemque Sacerdotem 1. Macc. II. 66. IX. 21. qui licet non fuerit unctus, oleo sancto sub templo II. deficiente, tamen ita vocetur, ut constitutus à Deo Dux populi & Sacerdos. Ita Abrahamum, Isaacum & Jacobum dici unctos Ps. CIV. 15. ita Aristobulum dici è genere unctorum Sacerdotum 2. Macc. I. 10. ita ipsum Jesum Salvatorem dici unctum, licet materiali oleo unctus haud fuerit. Significari autem hoc commate, decurrentibus his 62. septimanis reædificandas esse Hierosolymas in calamitoso licet

tempore. IV. Messiam post 62. septimanas excindendum esse Oniam, Sacerdotem summum 2. Macc. IV. 34. id quod eò certius sit, cum nec traditio vetus Judaica unquam agnoverit, Messiam esse moriturum Joh. XII. 34. nec ullus antiquorum Patrum verba de Messia excindendo de Christo explicaverit. Cæterum Oniam ita fuisse excisum, ut ei auxiliator *non* fuerit. Ab A. 4. Jozakimi ad necem Oniæ præcisè effluxisse 434. annos. V. Ducem, cujus populus post 62. septimanas urbem & sanctuarium corrupturus dicatur, esse Antiochum Epiphanem, Regem Syriæ, qui, captis Hierosolymis, templum profanaverit 1. Macc. I. 23. sqq. 2. Macc. V. 11. sqq. VI. 1. sqq. Esse hanc mentem & Estio & Sixto Senensi ex recentioribus, ex antiquis Josepho & Porphyrio. VI. Eundem Antiochum Judæis firmasse fœdus h. e. libertatem religionis avitæ 1. Macc. II. 27. in ultimâ septimanâ, h. e. primis annis imperii sui, ast in mediâ hâc septimanâ prohibuisse sacrificia Judaica atque idola in templum intulisse 1. Macc. I. 43. VII. Vindictam tandem ita sumendam esse ab Antiocho Epiphane, insinuari in fine oraculi, ut, ipso interfecto, sub Judâ Maccabæo verus cultus restituatur, id significari verbis: *וְעַד כִּלְה וְנִחְרַצָּה תִּתֵּן עַל שׁוֹמְיָם* *donec consummatio decisa effundetur super vastantem.* VIII. Sic verò & templo autoritate Cyri restituto & postea à Judâ Maccabæo repurgato, id quod omne intra septuaginta septimanas contigerit, factum, ut finiretur iniquitas h. e. ipsius pœna, ut expiaretur sive remitteretur & lueretur peccatum, ut adduceretur justitia æterna h. e. cultus Dei verus, ut obsignaretur h. e. impleretur visio & Prophetia Jeremiæ facta & inungeretur Sacerdos summus vel sanctum sanctorum in secundo templo. comm. 24. Ita COLLINUS.

II.

Sententiâ suâ sic expositâ COLLINUS, hæc contra receptam tela vibrat. I. ait, tempore Salvatoris nostri nec Hierosolymas fuisse destructas nec ullum bellum adversus Judæos gestum. Hoc enim demùm contigisse 37. annis post mortem Christi, cum juxta verba oraculi debuisset contingere in septimanâ septuagesimâ, immediatè mortem Christi insēcuturâ, non demùm in septua-

ptuagesimâ quintâ vel sextâ. II. Nullam vindictam à Romanis desolantibus à Deo sumtam fuisse à Deo, id quod tamen textus insinuet. III. Romanos nullum idolum in templum intulisse, quod tamen textus poscat feceritque Antiochus, sed illud funditus destruxissè. IV. Jesum non firmâsse foedus per unicam saltem septimanam sed per totam vitam suam. V. Eundem non inhibuissè sacrificia nec expresso praecepto, uti fecerit Antiochus, nec virtualiter morte sua, cum Paulus Apostolus adhuc sacrificia obtulerit Act. XX. 26. XXV. 8. VI. Solum esse edictum Cyri, quod agat de reductione populi ex captivitate & reedificandis Hierosolymis Est. I. non sanè decreta Artaxerxis Longimani vel anno 7. vel 20. imperii facta, quæ nihil tale inferant. At constare jam interpretibus, edictum Cyri huc non quadrare, cum aliàs 70. septimanarum absolventur multis annis ante Christum excisum. VII. Annos lunares, quos supponant interpretes ad computum 70. septimanarum, non fuisse tum temporis in usu, & ubi fuerint in usu, suppletos fuisse per annos intercalatos, nec intelligi quoque alios heic, quam solares, uti ex Lev. XXV. 8. constet. VIII. posito, annos lunares à Danjele intelligi, nihilominus ab anno 20. Artaxerxis Longimani usque ad mortem Christi longè plures annos lunares cucurrissè, quam 483. annos saltem, qui 69. septimanas efficiant. Cum enim ab anno 20. Artaxerxis usque ad mortem Christi cucurrerint 477. anni solares, qui in lunares redacti faciant 491. annos & 246. dies, facile patere, nec solares annos nec lunares hîc applicabiles esse. Si vero ab A. 7. Artaxerxis incipiatur computus, longè majorem adparituram annorum differentiam, si lunares supponantur. Quodsi verò solares computaveris, elapsos utique 490. annos esse ab A. 7. Artaxerxis Longimani usque ad mortem Christi. Sed Christi mortem contingere debuisse sub finem 69. septimanarum, non 70. ma. IX. Artaxerxem Esdræ non esse Artaxerxem Longimanum, sed Artaxerxem Babyloniarum Regem, uti Harduinus probaverit. Xerxem dicere Whistonum. Jam verò juxta computum Harduini ab A. 20. hujus Artaxerxis usque ad mortem Christi effluxissè 530. annos. X. Errare prorsus CHANDLERUM & MARSHALLUM, qui septimanam 69. ad cujus finem ponant mortem Christi, se-

parent à septuagesimâ, quam ajant cœpisse non à morte Christi sed ab initio destructionis Hierosolymorum per Romanos factæ adeoque inter penultimam & ultimam septimanam quinque alias interponant, id quod valdè debile & absurdum WHISTONO videatur. XI. Absurdum & id esse, per דנין Ducem comm. 27. intelligere Christum & supponere, illum futurum Ducem exercitus Romani, Hierosolymas vastaturi, quæ sententia MARSHALLI fit. XII. Veteres Judæos oraculum hoc de Messîa non explicasse, quem nunquam esse moriturum contenderint Joh. XII. 34. Nec oraculum quoque hoc de Messîa expositum legi in libris N. T. Hæc iterum COLLINUS.

III.

Diximus supra, sententiam COLLINI ex interpretationibus MARSHAMI & HARDUINI conflata esse. Fundamenta MARSHAMUS jecit, qui tamen ab HARDUINO & COLLINO I. differt, quòd initium 7. septimanarum à verbo Angeli computat Danj. IX. 23. sive à tempore ipsius hujus oraculi editi, quod supponit factum fuisse A. 3. Darii Medi Danj. X. 1. postquam luxerat & jejunaverat dies trium hebdomadarum sive 21. annos inde ab initio captivitatis Danj. IX. 3. X. 2. 3. ut aded inde usque ad solutionem captivitatis & Cyrum cucurrerint 49. anni sive septem præcisè septimanæ hîc nominatæ. II. Incipit quoque MARSHAMUS 62. septimanas ab excidio templi Salomonæi usque ad initium regni Antiochi Epiphani, docetque, qui infecutum illud fuerit & una hebdomas, sive 7. anni, queis Antiochus Judæis conservaverit fœdus sive religionem illibatam Danj. VIII. 14. ḡ dimidium septimanæ sive tres anni cum dimidio Danj. VII. 25. XII. 7. 11. intra quos Judæos fuerit persecutus, urbem ceperit abrogaveritque sacrificia Danj. VIII. 11. X. 31. 1. Macc. I. 47. erexeritque idolum Jovis Olympii in templo mirisque modis illud profanaverit, quibus elapsis occisus fuerit idem & templum per Judam Maccabæum repurgatum. Et sic intra tempus illud 62. illarum hebdomadum ædificata juxta ipsum fuit urbs & templum. III. Ait MARSHAMUS, circa finem 63. hebdo-

hebdomadis excisum fuisse *unctum* sive Pontificatum fuisse abolitum ab Antiocho Epiphane Danj. VII. 25. VIII. 11. ita, ut non fuerit ei populo amplius Pontifex, *civitatem enim & sanctitatem corrumpisse populum Ducis vententis* h. e. Antiochi, cujus finis fuerit in inundatione Danj. XI. 22. 1. Macc. I. 21. Quod HARDUINI sententiam spectat, totam eam suam fecit COLLINUS, nisi quòd Oniam Sacerdotem haud supponat typum Christi excindendi, nec Antiochum Epiphanem Vespasiani vel Titi, aut profanationem templi per Antiochum factam destructionis templi per Romanos facta, nec confirmationem foederis ajat à Juda Maccabæo factam, qui Judæos ad servandam religionem patriam admonuit, sed ab Antiocho Epiphane, nec denique postrema Oraculi verba vertat, ut HARDUINUS: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.

IV.

Constat, MARSHAMI & HARDUINI interpretationes dudum ab orthodoxis explosas esse. Et MARSHAMUM quidem refutarunt WAGENSEILIUS in mantissa adjecta telis igneis Satanæ, VITRINGA observ. sacr. L. VI. C. 1. sqq. BERNH. LAMY in apparatu chronologico ad Commentarium in Harmon. Evang. P. 2. C. 4. §. 6. sqq. JAC. BASNAGE dans l'histoire des Juifs T. 5. L. 5. Ch. 5. p. 88. sqq. SAM. BASNAGE in Annal. polit. T. 2. f. 531. sqq. BUDDÆUS in hist. eccl. V. T. T. 2. Per. 2. sect. 5. §. 10. p. 856. sqq. RUS in diff. philol. de 70. hebdom. Danj. §. 16. p. 29. HOUTEVILLE dans la religion Chrétienne prouvée par les faits Ch. 4. p. 178. sqq. CALMET dans la diff. sur le 70. semaines de Danjel Commentario in Danjelem præfixa f. 617. 618. & P. ZORNIUS sub nomine Amelii in der Erörterung der Schrift-Stellen des A. T. P. 1. p. 481. sqq. HARDUINUM, quem ferè sequitur CALMETUS l. c. f. 619. 620. refutavit LAMI l. c. §. 10. Respondit quidem ille sub nomine Eusebii Franco-Romani in Oratione refutatoriâ, quam à Canonico Augustano de Langenmantel sibi communicatam Claudius Gallet novæ editioni Antverpiensi operis Petaviani de doctrinâ tem-

temporum præfixit, & quæ operibus Harduini selectis f. 880. sqq. adjecta est. Sed dissipavit & has *φρασις* post BASNAGIUM l. c. cel. Kælerus in programme de Jo. Harduini nova sed ineptâ interpretatione de 70. hebdomad. Danj. A. 1721. Altorff. 4. edito.

V.

Sequitur, ut COLLINI sententiam sub examen revoce-
mus. Et I. quidem contendimus, ab oraculo à Jeremiâ edito
initium septimanarum capi non posse. Ratio est evidens. Tale
enim verbum hîc intelligitur, quod de reductione populi ex
captivitate & reedificandis Hierosolymis disertè & primariò agit,
quale illud Jeremiæ non erat, cujus oraculum captivitatem Ba-
bylonicam per 70. annos continuandam prædixit. Uno verbo,
de verbo consolationis meræ hîc agitur, quod non nisi reductio-
nem populi & reedificationem urbis complectitur. Tale ver-
bum verò infecuturum esse, hoc ipso oraculo Danjeli manife-
statur. Accedit, computum inde à quarto Jojakimi anno usque
ad Cyrum, Judam Maccabæum Oniam & Antiochum à COL-
LINO factum valde dubium, imò falsum esse, & verbum דברי
de edictis regiis quoque usurpari Eccl. VIII. 18. Esth. IV. 3. Neh.
II. 18. uti contendit Reverendiss. CHANDLERUS in the vin-
dication of the defence of Christianity Vol. I. p. 270. sqq. 292.
sqq. II. Observant interpretes, Atnachum distinguere saltem,
prout contextus permittit (a). Non opus est loca cumulare.
Itaque hic est verborum sensus. *Ab exitu verbi de redncendo popu-
lo & reedificandis Hierosolymis usque ad unctum Ducem h. e. Messiam,
Christum, sunt septem & rursus 62. septimane, intra quarum decur-
sum reedificabuntur plateæ & fossæ urbis, tempore quidem valdè calamitoso,
id quod fiet in primis septem septimanis, post elapsas verò 62. se-
ptimanas excindetur unctus sive Messias. Clarissimè apparet, Ga-
brielem primò septem septimanas dixisse ad epocham urbis reed-
ficandæ significandam & 62. septimanas ad mortem Messia
post elapsas illas determinandam. III. Messias in sensu absoluto
dictus non est Imperator quidam vel Rex, sed Dominus Messias,*
Sal-

Salvator mundi, qui absolute talis dicitur. Vide Joh. IV. 25.
 IV. Contortum profus & violentum est, post verba ⲉⲓ 62. septi-
mane repetere antecedentia illa: *usque ad unctum Ducem*, adeoque
 duplicem unctum hic supponere, Cyrum & Judam Maccabæum,
 imò tres unctos five Messias diversos, is enim, qui excinden-
 dus dicitur, accedit & esse perhibetur Onias. De uno eadem-
 que *novi* five Messia sermonem Gabrieli esse luce clarius est.
 V. Supponamus tantisper, verbum ⲉⲓⲛⲓ significare *abbreviatas*.
 Itane ergò inde sequitur, septuaginta septimanas ita numerandas
 esse, ut primò computentur 7. & deinceps 62. à communi ter-
 mino? Sic septem primæ septimanæ numerandæ essent bis & in-
 volverentur sexaginta duabus insequentibus, quod valde abso-
 num est. Quis illum non puerilis desipientiæ meritò insimula-
 ret, qui in persolvendis septuaginta nummis primò numeraret
 septem & reliquos sexaginta tres numeraturus resumeret septem
 jam numeratos ad sexaginta tres residuos complendos? Si *sep-*
timanæ sexaginta duabus involuta sunt, uti putat COL-
 LINUS, septem illæ & sexaginta duæ cum unâ insequente non
 efficient septuaginta septimanas secundum computum Gabrielis
 sed saltem 63. Manifestum est, ab Angelo septuaginta septi-
 manas dividi in 7, 62, 1. sese insequentes. At verò ⲉⲓⲛⲓ di-
 cit: *decisa, determinate sunt*. Vide saltem C. B. Michaëlis in h. l.
 VI. Magna illa, quæ sub finem 70. hebdomadam futura ab An-
 gelo prædicantur, post necem Oniæ, post & repurgatum à Ju-
 dâ Maccabæo templum non acciderunt. Omni emphasi privan-
 da essent verba, quæ comm. 24. habentur. Non quadrant hæc
 in istam epocham. VII. Antiochus quidem Hierosolymas cepit,
 diripuit & profanavit templum, sed tamen nec urbem nec
 templum totali devastatione extinxit. Totalis destructio & de-
 vastatio verbis maximè emphaticis comm. 27. innuitur. VIII.
 Verba hujus commatis ultima pessimè vertuntur à COLLINO,
 qui MARSHAMUM hic linguæ sacræ ignarus cæco impetu se-
 quitur. Ita enim vertenda sunt: $\text{ⲉⲓ usque ad consummationem ⲉⲓ}$
hanc quidem præcisam effundetur bellum in desolatum, vel, ut alii, *studen-*
tem. Nihil hic contra Ducem vastantem dicitur, nulla hic li-
 beratio Hierosolymorum vel restitutio sanctuarii promittitur.

B

IX.



IX. Confirmare *sædus* multis non est, permitttere Judæis, ut suæ religionis fruantur exercitio. Precaria hæc interpretatio est, ad-inventa saltem, ut hypothesi inserviat.

(a) Mirum, difficultatem hanc ex positione Atnachi resultantem haud tactam fuisse à Wasmutho in vindic. Hebr. P. 2. p. 218. sqq. nec à Dachselio in Bibl. Hebr. accent. ad h. l. Atnachum à Judæis intrusum putavit Huntlaus. Sed vide Glassii Philol. sacram L. I. tr. 1. p. 164. & Gejerum in h. l.

VI.

Objectiones COLLINI, quas in nostram interpretationem vibrat, facile destruimus. Et I. quidem non dicitur in textu, Hierosolymas & templum vastandum esse eo ipso tempore, ubi Messias sit excindendus. Juxta textum Messiam excisum secutura erat hæc desolatio. Num immediatè vel quot annis interjectis, non determinatur. II. In textu nihil prorsus dicitur de vindicta divina à Romanis sumenda vel templo repurgando aut restituendo. Fumos vendit COLLINUS & malè vertit Angeli postrema verba, ut ostendimus. III. Neque etiam in textu dicitur, idolum in templum inferendum esse. Verba sunt: וְעַל כִּנּוּף שְׂקוּצִים מוֹשׁוֹמִים *super alam detestationum*, quâ significatur aquila, sub cujus signo militavere Romani & qui propter cultum idololatricum ei delatum erat abominabilis, erit *vastator*. IV. Jesus *sædus* gratiæ, jam in V. T. cum hominibus lapsis inquit firmavit in septimanâ unâ, hoc est, postremâ, quâ post elapsas 7. & 62, h. e. 63. Evangelium prædicavit & passus est, atque illud sic in perpetuum firmavit, imò V. dum corpus suum in cruce obtulit, eo ipso circa medium septimanæ ultimæ finem attulit toti cultui Levitico & sacrificiali. Antitypus abrogavit typum. Etsi enim *de facto* non statim cessarit ille, cessare tamen debebat *de jure*, nec tolerabatur per *συγκληθείσασιν* Apostolicam nisi ad tempus. Apparet ex textu, dimidium septimanæ ultimæ mortem Christi excedere. VI. Non opus est, ut multum laboremus de capiendo 70. hebdomadam initio, vel de computatione per



per annos lunares aut Chaldaicos aut solares faciendâ, cum veteris chronologia ratio, cum Regum Persarum & Græcorum ordo, nomina, tempora in antiquis Historicis & Chronologis Judæis & Græcis tantoperè varient. Quod cum ita sit, sufficit nobis, quinque circiter secula inde à reductione populi è captivitate Babylonicâ & restitutione urbis & templi *plenariâ* usque ad mortem Christi elapsa esse (a). Sufficit, ad Judæos convincendos, 70. septimanas dudum elapsas, ad quarum finem Messias venire debuit. VII. Non existimamus, ultimam septimanam in excidio Hierosolymitano per Romanos facta finiendam nec per *Ducem* comm. 27. Christum intelligendum esse, quæ & If. Vossii falsa mens fuit, qui & non *unctum* sed *χρισμῶν* unctiōnem, h. e. regnum & sacerdotium excindendum esse arbitratus est sensum Oraculi esse, in præfat. de 70. Interpr. Dux ille Vespasianus vel Titus nobis est. VIII. Somnia quoque MARS-HAMI non moramur, qui מוצא דבר *exitum verbi* de verbo Angeli interpretatur, cum manifestum sit, Angelum verbum tertii intelligere, qui & contra aperta textûs verba fingit, septimanas *dierum*, quæ jejunavit Danjel, esse septimanas *annorum*, qui porrò non à מוצא דבר sed ab excidio templi Salomonxi sexaginta duas inchoat septimanas adeoque & septem antecedentes absurdè iis involvit, qui denique per Messiam excindendum violento prorsus instituto Pontificatum excindendum intelligit.

(a) Ita ferè & rectè J. Charon dans son explication des 70. semaines de Danjel, quæ addita est demonstrationi ipsius Evangelicæ. Non opus erat, hunc autorem ut eapropter reprehenderent Jesuitæ Parisienses & Basnagius. Vide Mem. de Trev. 1705. Avril. art. 51. p. 586. & hist. des Juifs T. 5. L. 5. Ch. 5. §. 3. p. 90. 91.

VII.

Quod restat, valde dolemus, Viros doctos ex pruritu novituriendi in excogitandis novis interpretationibus Oraculorum divinorum luxuriare. Certè Deistis anfa sic præbetur, sanctissimam fidem nostram calumniandi & cum Judæis heic causandi,

sandi, ipsos Christianos in explicatione hujus oraculi Angelici
 à se invicem tantoperè dissidere, licet, si **MARSHAMUM**
 & **HARDUINUM** exceperis, dissensio non fit in causa prin-
 cipali sed circa computum saltem versetur. Quod dum po-
 nimus, non mirari potuimus satis, qui in mentem venerit cel.
NEWTONO, ut in libro posthumo supra citato scriberet, se-
 ptuaginta septimanas Danj. IX. 24. incipere quidem ab A. 7.
 Artaxerxis Longimani & finire in morte Christi, & 62. septi-
 manas comm. 25. incipere ab A. 20. Artaxerxis ejusdem & fini-
 ri in nativitate Christi, sed septem septimanas eodem commate
 notatas determinare tempus tertii templi post Judæos ex capti-
 vitate præsentem in terram sanctam in ultimis temporibus, quæ
 Christi in has terras rediturus sit, reductos condendi, ubi à
 tempore edicti, quo Rex quidam Judæis favens permisurus
 ipsis sit templi tertii constructionem, usque ad hanc elapsuræ sint
 7. septimanæ sive 49. anni. Somnia hæc sunt, ubi quadrata ro-
 tundis miscentur. Quid manifestius, quàm hoc, septuaginta
 septimanas comm. 24. specialius enarrari comm. 25. 26. 27. ut
 taceamus, falsissima esse de secundo reditu Christi in has terras
 ad restaurandas Judæorum res & de tertio templo supposita.
 Haud tolerabilius est figmentum **BONJOURII** & **BASTIDII**,
 qui putant, 7. septimanas 62. septimanis successisse atque inde ab
 eo tempore numerandas esse, quo Herodes M. Judæis declarave-
 rit, se templum secundum renovaturum, cui constet renovan-
 do 40. annos fuisse infumtos. Joh. II. 20. Vide illius selectas in
 sacram Scripturam dissertationes diss. 1. de 70. septimanis Danje-
 lis, de hoc verò Mem. de Trev. 1708. Sept. art. 130. p. 1581.
 fqq. Quid dicemus de **JOS. MEDO**, qui 70. septimanas inci-
 pit ab A. 2. Darii Nothi & finit in secundo templi excidio, ver-
 ba autem usque ad Messiam Ducem septem septimanæ vertit: *Et usque*
ad Christum current plures septenniorum hebdomades sc. 62. septimanæ
incipiendæ, si solares sumantur anni, ab A. 7. Artaxerxis Mne-
monis, si lunares, ab A. 20. ejusdem? Vide ipsius Danjel's
 weeks. Quid dicemus de **JUSTO HENRICO JUNGMANO**,
 qui in Danjele referato contendit, 70. septimanas non an-
 norum sed dierum & vulgares esse nec ad Christum spectare,
 eapro-


eapropter à cel. RUSIO refutato? Ubi in alterum extremum procumbentes videmus Judæos quosdam, qui septimanas vel seculorum vel Jubilæorum, ita ut quævis vel DCC vel C vel L annos complectatur, intellectas volunt, & Origenem, qui septimanas decenniorum Tr. 29. in Mathæum putat significatas fuisse. Facilius dari hoc potest, septem septimanas annos 50. efficere atque ad annos Jubilæos hîc respici, quam sententiam post alios haud ita pridem defendit ALEX. SOSTMANNUS (a). Fortius adhuc ostendere conatur, ad annos Jubilæos hîc respici, PETRUS LANCASTER, cujus hoc systema est, Judæos annos sabbaticos 70. neglexisse celebrare adeoque per 70. annos fuisse punitos in captivitate Babylonicâ, ubi terra sancta quieverit Lev. XXVI. 34. 35. significari & septimanas illas 70. sive 500. annos Ezech. IV. 4. sqq. ubi Propheta per 390. dies annos præfigurantes portaverit iniquitatem Israëlî & per 40. dies ejusmodi typicos iniquitatem Judæ, qui numeri si computentur addanturque 70. anni Jubilæi, emergere 500. annos à Danjele determinatos (b). Non vacat jam enarrare varias vel Judæorum vel Patrum circa interpretationem hujus oraculi sententias. Illas dedere PETR. GALATINUS (c), RAYMUNDUS MARTINI (d), JO. MULLERUS (e), JO. FRISCHMUTHUS (f), ANT. HULSIUS (g), PET. ALLIX (h), AL. SOSTMANNUS (i), alii (k), has NAT. ALEXANDER (l) & AUGUSTINUS CALMETUS (m), ex quibus patet, Patres hoc oraculum de Christo, id quod perperam negat COLLINUS (n), qui neminem Patrum Græcorum vel Latinorum huic favere sententiæ dicit, explicasse.

- (a) in *למועד חזון* seu Commentario Chronologico, philologico & exegetico in oraculum Danj. IX. 24. sqq. de LXX. hebdomadibus. Lugd. Bat. 1710. 4.
 (b) Vide ipsius Chronological essay of the ninth Chapter of the book of Danjel London. 1722. 4. & Memoires literaires de la Grande Bretagne T. 13. art. 1. p. 1. sqq.
 (c) de arcanis cathol. verit. L. IV. C. 14. sqq. col. 224. sqq.
 (d) in pugione fidei. P. 2. C. 3. f. 269. sqq.

(e)

- (e) in Judaismo detecto C. 10. p. 291. sqq.
(f) in diff. de 70. hebdomadibus Danjelis & earum divisione. Jenz 1671. 4.
(g) in Theologiâ Judaicâ P. 1. p. 528. sqq.
(h) in epist. de 70. hebdom. Danj. libello de duplici Messîæ adventu affixâ.
(i) l. c. p. 13. sqq.
(k) e. g. Huetius in demonstr. Evang. Prop. 9. C. 8. §. 14. sqq. Hæc dum ponimus, esse & ex Judæis modernis notamus, qui verba de Messîâ excindenda de Christo utique explicant sed tanquàm Psevdo-Messîâ, quia exstet in textu יהוה משיחא nec ipsi h. e. Messîæ nomen de jure convenit. Vide Woodroffe's Danjel's weeks explained p. 3. 4.
(l) in hist. eccl. V. T. T. 2. diff. 2. f. 327. sqq.
(m) in diff. sur les 70. semaines de Danjel f. 615. 616.
(n) l. c. p. 184. ubi: I conclude with observing, that not one of the old Greek Fathers either recite these words *the Christ shall be cut off* or understand them of *Christ* the Saviour. The same is also true of the *Latin Fathers*, many of whom read *cessabit unctio*, the *unctio shall cease*, which they thought meant the death of Hyrcanus the *Hiest Priest* and the *cessation of the sacrifices*. *Harduin*. p. 592. Quæ enim Eusebii Cæs. & Chrylostomi sententia est, omnibus tribui haud debet, nec Harduinum cæcâ fide sequi hic COLLINUS debebat, & cum illo Porphyrii & Josephi sputa lingere, quorum ista fuit sententia, oraculum Danjelis tempore Antiochi Epiphaniis fuisse adimpletum, uti Hieronymus in præfatione expositionis in Danjelem refert. Legit sine dubio Hieronymum HARDUINUS, si COLLINUS non legit. At verò Hieronymus & in versione & in expositione habet, *occidetur Christus* & de Jesu Nazareno verba exponit.

In fugam vacui notamus ad p. 8. quòd eapropter quoque exitus verbi oraculum Jeremiæ de 70. annis captivitatis non possit existimari, quia manifestum est, oraculum Gabrielis vastationem Hierosolymorum supponere, tempore illo, quo alterum illud Jeremiæ editum fuit, nondum factam. Id quod contra RAYM. MARTINI, cujus ista quoque sententia fuit, egregie notavit Dorischeus in diff. de 70. hebdomadibus Danjelis p. 27.



COROLLARIA RESPONDENTIUM.

- I.
Pontifex non est Monarcha Ecclesiæ.
2.
Nec infallibilis.
3.
Quod attributum nec Ecclesiæ Romanæ competit.
4.
Nec ulli alii.
5.
Nullæ dantur traditiones dogmaticæ extra Scripturam S.
6.
Scriptura enim sacra est perfecta.
7.
Unica regula fidei & morum.
8.
Eaque quoad hæc perspicua, quantum necesse est.
9.
Sed cum consequentiis iisque necessariis & legitimis spectanda.
10.
Quæ tam perspicuæ esse debent, ut evidentiam illarum facile etiam laicus capiat in articulis cum salute valdè connexis.

I 1.

Certè enim & laicis via examinis ineunda est.

I 2.

Quam eapropter Romanenses respuere nequeunt, quia ad viam autoritatis, quam commendant, via non nisi per examen idque valde difficile patet.

I 3.


Nisi meris probabilitatibus inhiare laicus velit, quæ fidem divinam non pariunt.

I 4.

Examen verò legitimum divinam fidem fundat.

I 5.

Cùm mediante lumine Spiritus sancti ex verbo divino fiat.



Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3





7H 306

VD 77

NC







DISSERTATIO
EXEGETICO-POLEMICA
DE

LXX. HEBDOMADIBUS
DANJELIS

ADVERSUS

ANT. COLLINUM,
Oraculum hoc Danjeliticum de Messiâ
haud agere caussantem,
quam,

divinâ favente gratiâ

SUB PRÆSIDIO

CHRISTOPH. MATTHÆI
PFAFFII,

S. Theol. Doct. & Prof. Primarii,
Cancellarii Tubingensis

ad dies

Aug. MDCCXXXIV.

in aula nova
defendent

M. JOH. SEBASTIANUS SCHMID, Sulzensis,
I. JACOBUS GODOFR. GEISHEIMER, Stuttgartard.
I. EBERH. PHIL. JAC. PFÆHLER, Zavelsteinensis,
Philosophiæ Magistri & Sacrarum Literarum Cultores.

TUBINGÆ

excudebat GEORGIUS FRIDERICUS PFELICKE.